

QUADRATUS.

At vos, scelesti, abite! Poenitentiam
Mihi luetis, magno nunc pro crimine.
Abite, perfidi, ne plectam vos illico!

CROMATIUS (1).

Laboras acribus, Tarcisi, fustibus?

TARCISIUS.

Ita, pater, eruor, plaga omne corpus est.
Sed....

QUADRATUS.

Quid?

TARCISIUS.

Magna ego gestio laetitia
Quod ad profanos sacrum non advenerit.
Mater, dic, Cromati, gemitne in carcere?

CROMATIUS.

Cessit de vinculis, gaudet, sed libera!

TARCISIUS.

Martyr?

CROMATIUS.

Modo pro Christo lubens occubuit!

TARCISIUS.

Quid aptius mihi possit contingere?
Vale, Cromati, pater alter; in Deo
Lubens nunc morior... Quadrate, gratias
Ago, quod praesens auxilium tuleris....
Fratres, tu pervelim, me et Dionysium
Eos manere laetos inter sidera.... (2)

CROMATIUS.

Puer decessit!

QUADRATUS.

Vota, clementissime
Deus, subito compleantur omnia!

CROMATIUS.

Tibi vivamus omnes!

QUADRATUS.

Detur pro te mori!...
Iuvat sed martyris deferre exuvias
Ubi sunt fratres fundentes preces (3).



(1) Quum accuratius eius vulnera observasset.

(2) Moritur placidissime.

(3) Cromatius et Quadratus auferunt religiose corpus
Tarcisi. Quum egressi sunt redeunt cives furore acti.

SCENA ULTIMA.

CIVES.

CIVIS I.

Mali, improbi!

CIVIS II.

Christi erant discipuli!

CIVIS III.

E nostra incolumes evaserunt manu!

CIVIS IV.

Caesar qui summo splendet Capitolio
Malas a solo vel radices auferat!

CIVIS V.

Christi discipulis omne sit exitium!

(Apparet Tarcisi gloria).

CIVES.

Qui splendor!

ALII CIVES.

Quae lux!

ALII.

Quae voces et cantica!

CIVIS I.

Odor fluit circum dulcis, ambrosius....

CHORUS CAELESTIS.

Omnes canamus martyri
Praeclara Christi munera,
Parata in alto vertice
Aeterna, formosissima.

Non aestus iam nec gladius
Nunc corda turbat martyrum
Gemmis coruscant fulgidis
In Angelorum gaudio.

CIVES.

Tuis dedisti, Christe, sectatoribus
Munus excedens omnium desiderium!
Et nos Tui sumus! Fac ut religio
Ab Urbe leges gentibus det domitis!

FINIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

*Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem*

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM — Piazza del Gesù, 48 — **ROMAM**

Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud
Gebethner et Wolf
Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

“Kronika Rodzinna”

Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal

1899, Rue Notre-Dame.

T. et G. Fratrum Parisi

ROMAE in ITALIA
in foro Campi Martii, 6

Vincentius Rigacci
officinalis conditor
an. 1789.

PONTIFICIA OFFICINA
CANDELARUM AD SACRA
cui Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X
honores addidere

Candelae ad Sacra in Americas, in infimam Africam, apud Indos, Sinenses, Iaponios
aque in Australiam exportantur.

Novarum earumque latissimarum aedium prospectum damus, quas Fr. Parisi ad Can-
delas ad Sacra cereasque faculas ad noctem fabricandas recens in Urbe a solo excitarunt,
et cuique visitandas praebent per tesseram gratuito apud ipsorum centrale officium, Romae
in foro Campi Martii, 6, potentibus distribuendam.

Candelarum «tipus oeconomicus» perfectae exustionis venit lib. (*francs*) 225 cen-
tensis Kgr. — Merx nullo iubentis impendio in omnes orbis portus mittitur, dummodo tre-
centis saltem cerae Kgr. constet.

Colligationes ab officina Parisi adhibitae eae sunt, quae deserti traectionem in camelorum
dorso (viginti dierum iter) facilime perferant.

Commercium epistolare habetur Italica, Latina, Gallica, Anglica, Theutonica, Hispanica lingua.


Ann. XII.

ROMAE, Kal. Ianuarii MDCCCCIX.

Num. I.

VOX URBIS


DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS



Rerum index:

- Sociis et lectoribus Commentarii nostri humanissimis.
- De latinae linguae praestantia.
- S. Congregationis Studiorum litterae de lingua latina.
- Ex Septentrionali America. — De Theodoro Roosevelt Civ. Fod.
- Amer. Sept. praesido et Guilelmo Taft eius successore.
- Vergilius atque Cicero nominatim de Iesu Christo filio Dei attigerunt?
- De Caroli Mariae Rosinii episcopi Puteolani Comoediis.
- Magorum repraesentatio in ingenuis artibus.
- Magi ad Iesu cunabula vocati.
- Colloquia latina. — Narratio convivii.
- Caesaris Tiratelli tabula baptismalem pompam in Campania referens.
- Diarium Vaticanum. — Coram SSmo admissiones. - Pontificias elec-
tiones. - Vita funti viri clariores.
- Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae se-
lectae.
- Annales. — Auctriaci civiles motus et Balkanica quaestio. - Manritana
res. - Inferioris Americae discrimina.
- Publici per orbem coetus legibus ferendis.
- Per orbem.
- Magnus Italorum luctus.
- Aenigmata.
- Aegyptii. — Caroli M. Rosinii Comoedia. (Recognovit L. F.).
- Epistolarum commercium.

Sociis et lectoribus Commentarii nostri humanissimis



VITATORI montana ardua et aspera condescendi placet interdum in via consistere tum ut peragratum iter animi cum oblectatione quadam et superata obstacula retrospiciat, tum ut post brevem requiem, quae defatigatas vires instauret, spiritum sumat novum ad metam tandem adipiscendam, quae eius oculis longe adhuc at solis radiis coruscans effulget.

Nos non aliter, qui anni cuiusque vitae Commentarii nostri sub exitum, quasi totidem viae tractibus expletis, remoramus, hinc exantlatos labores, semina terrae mandata, surculos defractos, signa posita respi-
cientes, inde viriliter nos erigentes ad propositum assequendum, cui nunquam non tenaciter perstitimus, ut scilicet latinitas haec, unde humanitas omnis indesinenter et ubique manavit, per orbem universum et seruetur et proferatur, utque ita tandem aliquando latinus sermo, ad omnia exprimenda aptus et confor-
matus, commune doctorum saltem virorum eloquium fiat.

Quae quidem ex peracto itinere hodie colligere liceat, ipsi vos, socii et lectores humanissimi, qui nostrae sollicitudini assidua diligentia atque inconcussa fide indesinenter haesistis, iudicetis. Quasi payida et nutans, magnis generosisque nominibus unice suffulta, *Vox Urbis* in lucem abhinc annos undecim prodiit; nec progredi fas esse, choro, fere dicam, ei deficiente, videbatur. Brevi tamen qui stupentes eius ausum prius mirabantur, paullatim ad eam accessere, tantoque studio unum et idem cum ea demum facti sunt, ut, aliis alia causa patronis illis, — quorum memoria a grato nostro animo nunquam decidet, quippe qui praceptorum et amoris honestissimam haereditatem nobis reliquerunt, — ab ea seiunctis, ipsi auxerint, confirmaverint sibique sufficientem effecerint. Itaque non unum Urbis augustae matris excellentem sermonem haec *Vox* retulit, sed, quod in optatis conditorum erat, cultum omnem atque humanitatem, eaque omnia ingeminavit, quae inde, veluti ex radiationis centro, animos usque a longissimis orbis partibus amice cum genitricis animo coniungere valerent. Igitur scripta locum in ea habuerunt, quae populos omnes aliquo modo attingerent, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones, a nunciis et significationibus ad simplices et facili stylo expressas descriptiones, narratiunculas, dramaticas actiones; ab antiquitatis scientia ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes,

unde colloquia latine inire atque alere daretur; a doctorum virorum scriptis nondum vulgatis aut parum cognitis ad primas adolescentium exercitationes, quae incitamentum veluti in palaestra eorum conatibus, laude quidem amplissima dignis, conferrent; a Pontificis denique documentis praecipuis ad iuris regulas in S. Congregationibus inductas; haec omnia ut quisque vel ex dissitis regionibus, vel cultu, doctrina, animi proclivitate, artibus ab altero difformis in *Voce Urbis* aliquo modo completere desideria sua posset.

Talem socii et lectores Commentarium nostrum et voluerunt et reddidere; talem itaque in proximo quoque anno servabimus. At grave aliud addemus, quod plures a pluribus requisitum, ne immatura tempora cum damno praeverteremus, quamvis desideriorum nostrorum summam constitueret, fieri nobis non posse hucusque iudicavimus.

Meminerint lectores, apud latinitatis coetum nonnullis ante annis Romae congregatum, in quo *Vox nostra*, — per Eum qui iam fere ab initio in commentario nostro redigendo primas agens *Vocem* ipsam moderatur, — ex Capitolio resonans, triumphum primum publice reportavit, votum inter cetera cum plausu nuncupatum esse, ut latinitatis adsertorum et vindicium stabile et certum foedus quodammodo constitueretur. Atqui idem votum communi consensu, imo vero veluti omnium animorum necessitati respondens, ipsis hisce diebus Romae iterum et ultro erupit per plurimos illos viros, qui in Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum, vitae sua annum quinquagesimum celebrans feliciter expletum, convenientes, tantum et nominis, et civilis et ecclesiasticae gloriae, itemque tantum tuendae latinitatis ardorem sollemnibus illis contulerunt. Quid? Dubitaremus ultra? Nobile facinus heu! antea ab iis cui videbatur commissum reapse neglectum, diuque a nobis expetitum numne nunc etiam nostram rem haud faceremus?... En igitur, socii et lectores carissimi, en vobis ulteriore *Voci Urbis* gradum in quo insistat apertum; en vobis praestare, ut reliquum hoc viae fauste eidem atque feliciter evadat. Nobiscum vos adstringite, ignis quo flagramus partem vobis sumite, in vestrisque regionibus circulum circa vos constituatis, qui per *Vocis Urbis* commentarii tramitem cum ceteris latina fata communicet, quae contra vanos nostri temporis cuiusque generis conatus sic immutata manebunt.

Huiusmodi incoepui faveat Deus Optimus Maximus, dum nos operam nostram, uti assuevimus, rei navabimus. Itaque a proximo Ianuario mense, qui anni XII vitae Commentarii nostri afferet initium, menstrui *Voci Urbis* fasciculi singuli paginarum numero adiucti prodibunt ut novis necessitatibus magis respondeant; quum tamen pretium, quamquam pro rerum adiunctis submutatum, tenue quidem ac nemini impervium manebit praemiaque splendidissima pro cuiusque laboribus tribuentur, quae in proximo numero indicabuntur. Non enim — idque satis compertum est — auri sacra fames, sed singularis quaedam summae cause, id est Latinitatis, imago animo et cogitatione concepta nos ad operandum impellit.

Haec in superiore numero, novi anni proposita edicentes scripsimus, nec quidquam hodie addemus, eoque magis quod rata ac probata vobis, o socii et lectores humanissimi, iam satis accepimus. Vix enim Commentarii nostri fasciculus varia orbis litora attigit, certamen quasi fuit, inter eos maxime, qui nos iam tot annos fidi dilectione prosequuntur, ut gratulantes animosque adiicientes litterae ad nos mitterentur.

Gratissimum pariter atque decorum nobis fuit excellentissimos Americae Latinae episcopos, qui Romam tum Pontificis, tum Collegii Pii Latini Americani iubilarium sollemnium gratia petierunt, in primisque Purpuratum Patrem Ioachim Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti, Rivi Ianuarii archiepiscopum, non prius ab Urbe discessisse quam subscriptionem suam et laudes *Voci Urbis* dederint; sintque illis debitae grates, sitque id simul eorum collegis et studiorum moderatoribus incitamentum ad foedus illud latinitatis efformandum, quod votorum nostrorum summam constituit, et cuius germina non in hoc orbis universi capite, sed et Dertusae in Hispania et Cantuariae in Anglia summo

cum gaudio iam vidimus. Eia! ut annus MDCCCCIX, non vobis tantum, quemadmodum ominamur ex animo, sed universae latinitati bonus, felix faustusque evadat, iamnunc in vestra manu est, socii et lectores!



Quae autem vobis administrator comparaverit **praemia** nunc attendite.

In mente ipse iamdiu voluntaverat Sacerdotalis dilectissimi Pontificis Iubilaei nuper peracti mnemosynon vobis offerre, idque non commune, imo singulare. Atqui pro sua diligentia et constantia desiderium animi sui tandem explere valuit. A Consilio namque Centrali ad rem in Urbe constitutum id unus ille obtinuit, ut **numisma** iubente coetu ipso cusum, et extra commercium studiose habitum, ad singulos **Vocis Urbis** pro anno MDCCCCIX subnotatores gratuito mitteretur. Huic dono, profecto “unicum”, quod nullus alias commentarius largiri potest, addetur novis subnotatoribus **Vox Urbis** kalendarium notissimum ac late celebratum, quod socii, qui iam praeteritis annis habuere, pariter concedetur, dummodo subnotationis pretio lib. 0.25 ad diritorii expensas resarcendas addiderint.

Praeterea quae sequuntur **praemia ad stimulandum** constituit:

Qui socium novum acquisiverit unum eiusque subnotationis pretium cum suo miserit, gratis etiam accipiet Caesaris Tiratelli tabulam metr. 0,60 × 0,40 a celeberrimo Urbano S. Michaelis hospitio splendide caelatam, baptismalem pompam in Campania referentem.

Qui socios novos acquisiverit duos ut supra, horologium sibi habebit in Germanicis officinis ad Roskopfii rationem nobis fabricatum.

Qui socios novos acquisiverit tres eorumque subnotationis pretium miserit, a pretio suo solvendo eximetur.

Qui socios novos viginti quinque coegerit dimidiatum pretium itineris habebit ab Italiae finibus Romam usque, atque inde in discessionis Italica stationem secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui socios denique novos coegerit quinquaginta, eodem itinere gratis omnino gaudebit.

Haec munifice apparavit administrator, qui has leges tantum ad rem sanctas voluit:

I. — Ad **praemia** quaeviis obtinenda subnotationes eorumque pretium mittenda sunt non ultra Februarium mensem, iis exceptis qui xxv aut L socios collegerint, quibus fatalis dies dicitur Kalendis Iuliis.

II. — A **praemiis** « ad stimulandum » bibliopolae excipiuntur.

Itaque **pretium subnotationis**, quod in an. MDCCCCIX erit in Italia libell. 6; ubique extra Italiam libell. 9 (doll. 1,80; sh. 7; mark. 7; rubl. 4; coron. 9) recto tramite mittetur

ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii *Vox Urbis* possessorem et administratorem

Romam, piazza del Gesù 48.

Vox Urbis.

DE LATINAE LINGuae PRAESTANTIA

Cogitanti mihi iam a prima adolescentia quaenam tandem causa esse posset, cur, quum tot antiquae linguae oblivioni omnino traditae iamdiu fuerint, latina lingua vigeat plurisque in dies a sapientibus fiat, illud praecipue obiciebatur, quod scilicet ad eius indolem spectat. Mirabar enim latinae loquutionis vim atque singularem quamdam rebus pertractandis proclivitatem, qua a primo iam verborum sono animus potest rem complecti faciliusque retinere. Quod prefecto ex quo longius in rei litterariae penitus studium processi autoresque praestantiores pervolvit, plane cognovi illi proprietati esse adscribendum, quam recentiores declarant dum latinam linguam maxime syntheticam vocant, syntheticarumque linguarum dignitatem extollunt.

Hoc breviter nunc attingam: simul vero laetor, quum videam meridiana iam luce clarius esse compertum omnibus rem cognoscere volentibus, per unam Ecclesiam stetisse quominus saepe tam praestantis linguae monumenta interierint. Ecclesia enim iam a primis aetatis sua temporibus latinam linguam exceptit, fovit, atque in innumeris fere plegas dilatavit. Ecclesia animos viresque adiunxit tot nobilibus scriptoribus egregiisque poetis qui latinam ditionem christianam iam factam honestarunt. Ecclesia denique nostris hisce diebus, in quibus tot homines politioris artis prorsus ignari quascumque orbis linguas praeter latinam iamdiu mortuam colendas conlament, documentis est alumnos suos adhortata ut in studium tam pulchrae linguae, tam nobilis tamque ad omnes disciplinarum usus, ecclesiasticarum praesertim, accommodatae alacriter incumberent.



Sed iam ad propositum nostrum veniamus. Principio est latina lingua synthetica; quod tum in flexione tum in propositionum subordinatione videre licet. Nam lingua synthetica non singulis verbis singulas rei partes et quasi rationes exhibet, sed uno saepe vocabulo totam simul rem uno conspectu intuendam proponit. Ita quod Hispani sex vocibus dicimus: *el que ha de ser amado* (Galli: *celui qui doit être aimé*; Itali: *quegli che deve esser amato*), hoc latini uno verbo complectebantur: *amandus*. Haec vero veterum linguarum synthetica vis, illustrior apparebat in propositionum subordinatione. Nam, ita sententiae principi aliae subiiciuntur, ut ex una illa ceterae pendere videantur. Qua de causa, forma synthetica hoc est analytica praestantior, quod omnes sententias inter se devinctas et nexas ostendit. « Linguae syntheticae – inquit P. Longhaye – verbo ipsi notam aliquam innectunt et quasi conglutinant, qua eius cum

ceteris nexus ostenditur. Levis enim inflexio radici apposita verbi tempus et modum, in substantivo munus subjecti vel complementi indicat; quod, ut meliquet, celerem reddit sententiarum decursum». Merito igitur aiebat Stuart Mill, grammaticam linguarum classicarum, primam esse logicae partem; uniuscuiusque vero sententiae contextum esse logicae lectionem.

Inde oritur harum linguarum ad periodicam orationem proclivitas. Nam de sententia P. Verest, linguae recentiores, utpote analyticae, sententias simplices et fere dissolutas coacervant; classicae vero periodos apte construunt, sententias alias aliarum imperio subiiciunt, inque amplissimo sententiarum ambitu unam dignissimam tamquam principem certis praeficiunt.

Quod aliis verbis clarissimus Bréal exprimit, dum scribit: « Quum scriptor latinus periodum accusativo incipit, accusativus ille omniaque quae ab illo pendente mente sunt retinenda, mentisque assensu inhibendus, quoad verbum rem totam perficiat ».

Etenim hae linguae non nudas et abstractas rerum virtutes, sed res ipsas lineamentis circumscriptas, coloribus illuminatas, spirantes et actuosas, uno verbo concretas, oculis ipsis subiiciunt. « Si graecum latum lexicon, – inquit P. Ruiz, – cum qualolibet vernalculo conferatur, statim apparebit multo plures veteres esse voces concretas, multo pauciores abstractas ». Quod quidem quam sit idoneum pueris informandis, ingenuisque litteris colendis, poësi praesertim, nemo ignorat.

Huic veterum linguarum virtuti non est dissimilis simplicitas illa, qua in antiquioribus his linguis vel maxime elucet. Nam hae veteres quasi incorruptae linguae integrum simplicitatem prae se ferunt.



Magna linguae latinae nobilitas ex iis quae diximus appareret; sed illa forte potissima laus est, quod adolescentum effrenatam phantasiam vehementesque sensus et regat et temperet. « Nam Graeci, – scribit Lessing, – eorumque praecleari imitatores Latini, ita orationem moderabantur, ut ne quid nimis unquam esset ».

En nonnulla ex infinito paene laudum thesauro, quibus potest latina lingua, maximi semper habita a litteratissimis hominibus, cumulari. Qui profecto omnes hoc fatentur se in eius amore ardentius flagrasse, quo accurationem latinae linguae cum aliis multis comparationem instituerint.

Quam sapienter igitur quamque utiliter ad Ecclesiae alumnos, qui in omnium spem in Seminariis adolescent, missa nuper quae in hisce paginis legitur adhortatio est a Congregationis Studiorum Cardinali

praefecto, in qua uberrimi latinae fructus innuntur. Legatur haec brevis quidem, sed paeclarla latinae linguae laudatio; clarius enim patebit sapientia, qua Romana Ecclesia filiorum suorum doctrinam, utilitatem atque in pulchrioribus artibus informationem semper procuravit.

Dertusae in Hispania.

MARIANUS CASTELLANO S. I.

S. CONGREGATIONIS STUDIORUM LITTERAE
DE LINGUA LATINA

Vehementer sane dolemus quod accepimus lingua latínam in quibusdam Seminariis ita negligi, ut a disciplinis non solum Philosophiae et Iuris canonici, sed etiam ab ipsa universa Theologia remota esse videatur. Quod discipulis, iis praesertim qui subtiliori et exquisitiori ratione in magnis Lyceis ad has disciplinas animum applicaturi sunt, maximum affert detrimentum.

Ipsi quidem omittimus quantopere et expetenda et colenda ea esset a Clero – cui litteratum esse nunquam dedecuit – quippe quum latinae litterae secundum graecas ceterarum sint fons et fundamentum.

At illud in primis, quod maximi momenti et ponderis est, notari atque animadvertis volumus, linguam latinam iure merito dici et esse linguam Ecclesiae propria. Et profecto hac lingua, si quando necessitas exigat, Sacerdotes disiunctarum diversarumque civitatum colloqui et scribere inter se solent ad sensa mentis pandenda, quae alter inter se pandere non possent. Hac lingua, in quam sacri libri veteris novique Testamenti versi sunt, Clerus canonicas recitat precatioes, Sacrum facit omnesque sacros ritus et caeremonias, quas Liturgia praescribit, exequitur. Quin etiam hac lingua Summus Pontifex et sacra Consilia Ecclesiae negotiis curandis in litteris actisque omnibus edendis utuntur. Accedit quod quos doctissimos libros sancti Patres Ecclesiaeque Doctores latini scripsere, eos et huic linguae commendarunt.

Sed praeterea lingua latina cum Philosophiae, tum sacrarum disciplinarum lingua facile dicenda est. Quum enim ipsius vis et natura ea sit, ut aptissima existimet ad difficillimas subtilissimasque rerum formas et notiones valde commode et perspicue explicandas, hac perpetuo usi sunt a media quae vocatur aetate usque ad totum saeculum XVIII eademeque usque adhuc uti solent et scriptores in libris scribendis sive de Theologia, sive de Iure canonico,

sive de ipsa Philosophia et magistri in iisdem docendis disciplinis.

Quapropter, quum ex his quae diximus satis appareat summa sacrorum alumnis huius linguae cognitione opus esse, hoc S. Consilium Studiorum etiam atque etiamhortat cum magistros, ut ad normam Constitutionis Leonis PP. XII « Quod divina Sapientia », Tit. VI, cap. 82-84, hac lingua disciplinas tradant, tum discipulos, quo alacrius plenisque, secundum Litteras Encyclicas *Depuis le jour*, die VIII mens. Sept. an. MDCCCXCIX a Summo Pontifice Leone PP. XIII datas, in huius linguae studium incumbant, prout sacra studia potissimum apud Archigymnasia requirunt.

Firma spe freti fore ut A. T. omni ope et opere eniti velit, ut nostris his optatis quam optime satisfiat, dum Te oramus ut has litteras acceptas Nobis significes, peculiari cum observantia Tibi omnia fausta a Deo O. M. adprecamu.

Amplitudini Tuae

Addictissimi

FRANCISCUS Card. SATOLLI, Praefectus.

ASCENSUS DANDINI a Secretis.

Ex Septemtrionali America

De Theodoro Roosevelt Cip. Foed. Amer. Sep. praeside
et Guilelmo Taft eius successore (1)

Quum an. MDCCCXCVII Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis praesidis munus Mac Kinley assumpsit, Theodorus Roosevelt alter ab administratore rei navalis renunciatus est operamque omnem classi angendae intendit, quum tamen ab armis Cubanis in bello non abstinerit. Quo quidem confecto, Neo-Eboraci gubernator creatus, intermissum laborem in corruptionem et factionum tyrannidem pro civili honestate, pro iustitia et iure resumpsit, virilique animo in incepto perstitit, ita ut quum an. MDCCCI nova comitia haberentur et Mac Kinley in supremo magistratu confirmaretur, Rooseveltius plurimi suffragiis alter a praeside electus fuerit.

Tum librum edidit *American Ideals* inscriptum, in quo mentem suam plane apernit de Americanorum indole deque Septemtrionalis Americae fatis, contendens quam maxime ut quisque ad ea perficienda operam suam conferret; neque cives tantum ad rem vocans, sed advenas ipsos, qui in Foederatas Septemtrionalis Americae Civitates immigrantes nomen suum ipsis civitatibus dedere: hosce enim cupit antiquae pa-

(1) cfr. num. sup.

triae politicis negotiis valedicentes, dissensionibusque omnibus despectis, in novae civitatis gloriam unice intendere eiusque uni prosperitati, quae sua cuiusque futura erit, studere.

Ita populariem auram maiorem in dies sibi comparabat; atque inde pariter factum est ut quum Mac Kinley nefarie fuerit interemptus, Americanorum luctus ab eo qui successionis iure sufficiebatur medicina exspectaret.

Neque eventus opinionem sefellerunt; siquidem a iure iurando praestito « omnia agendi quae vires permetterent ad civitatis constitutionem integrum servandam, ad rerum ordinem tuendum atque defendendum » Rooseveltius aberravit nunquam: satis est litteras perlegere ad populi legatos saepe saepius missas, unde cuique eius erectum firmumque animum facile coniicere liceat. Virorum popularium sive pacem sive bellum vocitant adversari accerrimus, non tamen quietis perpetuae doctrinam praedicat; patrum autem militares glorias extollit, extollit heroicas virtutes, populumque ad magnarum – sit venia verbo – possibilitatum cogitationes ac fortium propositorum admovere nititur...

Studium eius et industria ad pacem Russos inter atque Iaponios iterum componendam meminerint omnes: tum non de gente sua, sed de humanitate universa optime meruit Rooseveltius, quem quidem culti omnes populi laeto animo in suo officio confirmatum vidissent; firmiter tamen noluit ille, quem rem non quidem literae, at legum menti contraria, nullo pacto est patiatur. Ita libenter Guilelmo Taftio, quem comitia indicarunt, magistratum rei publicae summum cedet.



Novus hic Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis Praeses quinquagesimum vitae annum agit et patrem habuit iustitiae administrum et ad exteris gentem legatum. Ipse iurisprudentiae viam amplexatus est iudexque supremi tribunalis fuit in Ohiensi civitate. Anno MDCCLCI Philippinarum insularum gubernator, consilio, auctoritate, sententia populi favorem rerumque optime curatarum famam sibi conciliavit. Deinceps ad Habanenses tumultus qui sedaret delectus est, utque Panamensis isthmi operas recognosceret. In patriam reversus extera negotia atque bellica moderanda suscepit, recensque Tokium tenuit ut controversias dirimeret inter patriam suam et Iaponiam. Dotibus praeclaris Taftium esse donatum in hisce omnibus apparuit; apparent certa Americanis spes fore ut dignus praedecessoribus praeses item evadat.

Neo-Eboraci, mense Decembri MCMVIII.

I. W.

Vergiliusne atque Cicero
nominatim de Iesu Christo filio Dei attigerunt? ⁽¹⁾

Mirabile prorsus est duo illa romani orbis lumina, Vergilium nempe et Ciceronem, quae, binis frusta labentibus millenniis, nihil nativi fulgoris amiserunt, et, adeptum olim in litteris, adhuc retinent principatum, favillam ex Messianicis Sibyllarum oraculis sibi vindicasse et in propria transtulisse.

Quae de nascituro Iesu affert a Cumaea Sibylla Vergilius in illa Bucolicarum IV ecloga ita clara et aperta sunt, et adeo scatent orientalibus metaphoris et allegoriis, ut ex Hebraicis prophetis, quorum vaticinia et nomina continentur in Biblio, depopulante potius quam legente manu deprompta atque ablata fuisse videantur. Quod quidem cynicus ille minime occultat, sed ipsa in fronte carminis indicat quo de fonte sibi defluxerit ille rivus:

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas.

At illa omnia nascenti Pollionis filio frustra aptare conatur, dum ad humanos artus, quae iampridem humeris congrua divinis exstiterat, vult vestem reducere.

Locum sibi veritas vindicat, et aegre ferenti vati semetipsam imponit. Quid enim commune cum Pollionis filio haec habent:

Cara Deum soboles, magnum Iovis incrementum?

Itemque:

*Te Duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras?*

Haec omnia ego pulcherrima quidem iudico: quum vero passim prae manibus hominum sint Vergiliana carmina, lectores ad illa volumina delego.

At quae apud Ciceronem extare hac in re scio, Vergilianis carminibus fortasse admirabiliora duco, atque proferenda censeo tum quia eiusmodi Ciceronianis, mole ipsa numeroque librorum obstantibus, communia et penes omnes non sunt, tum quia historicum ferme parietem attigisse videntur ita, ut illa Cornelii Nepotis in *Vita Attici* (§ XVI) rursum de Cicerone verba probentur, quibus hunc iudicat hominem paene divinum: « Non enim Cicero ea solum, quae vivo se acciderunt, futura praeditus, sed etiam, quae nunc usu veniunt, cecinit ut vates ».

(1) Socii qui *Vocem Urbis* iam aliquot annos in via comitantur, haud certe oblivioni dederunt scriptorem nostrum copiosissimum, Hyacinthum De Vecchi Pieralice cum humanitatis luctu mense Octobri an. MCMVI vita functum, cuius dissertationes etiam post humum nonnullas edidimus. Quum his diibus carum in aliam incurserimus, non inutile duximus eam quoque in nostras paginas referre; quae quidem si forte omnium consensum haud sibi plane conciliatura erit, non tamen sine curiositate profecto legetur.

Hic autem Ciceronis locus, non modo Messiae nomen, quantum est, suisque decoratum adjunctis offert, sed et vitam et mortis genus, et vitae mortisque scopum ostendit. Quapropter nativitatem et regnum eius apud Vergilium habemus, apud Ciceronem vero naturam eius divinam, et mortem humana et supremum Iudicaturi designatum adventum.

Ciceronis fragmentum undenam nobis? Dicam. In Christianam religionem ad saeviendum Imperator Cl. Nero Pont. Maximus iure censuit, nam in Legibus XII Tabul. cautum erat: « Nemo Deos habessit novos, sed nec colunto ». Constantino Imperatori igitur fuit, ut ostenderet religionem hanc non esse nuperimam, sed iampridem, et ante Romam conditam exstisset. Qua de causa, subverso Neroniani edicti fundamento, edictum ruebat ipsum, cui nihil fulcri erat praeter ambulatoriam voluntatem atrocissimi et obscaenissimi Imperatoris, plerumque insipientis.

Totus ad hoc Imperator Constantinus « in Oratione rescripta Sacrosanto Senatu » (Vergiliani carminis tamen non oblitus, nam affert), haec e Cicerone desumit, et profert.

Verba ex integro damus Eusebii Pamphili, Ep. Caesareae, *De Vita Constantini Imperatoris* (1):

« Illa igitur Erythraea Sibylla, quae saeculo sexto a diluvio se fuisse dixit Apollinis Sacerdotem..., aliquando mediis adytis, importuno superstitione religionis ritu intermisso, afflata proculdubio caelitus, edidit aperte futura de Deo versibus. In eorum serie literae quaque primores (Acrostichis a Graecis appellatur) adventuri Iesu historiam significant. Acrostichis haec est: Iesus Christus Dei Filius, Servator. Crux.

Versus autem, qui sequuntur, brevitatis gratia omittimus».

« Ista divinitus in animum venit edicere virginis, quam ego profecto beatissimam esse iudico, delectamque a Deo Optimo Maximo consili sui vaticinatricem de nobis; etsi plurimi severe negant haec esse digna fide, quum tamen Erythraeum Sibyllam fuisse fateantur. Atque illi quidem aliquem suspicantur huiuscemus ritus observatorem hominem, poeticae non ignarum, confecisse versus, subinde Sibyllae nomine circumferri quaedam quasi vaticinia, quae revera adulterina sint, et tamen ad instituendam probe vitam conducibilia, quum, excidio voluptatum, homines ad honestatem allicant et temperantiam. Ad exquisitam rationem veritatis, hominum nostrorum diligentia annotata sunt intervalla temporum, iam ut nemo aliqua de re possit ambigere, post adventum Christi poema non compositum fuisse, et tamquam versus essent a Sibylla dicti, ita falso tenuisse. Nam certum

est incidisse in poema Ciceronem, idque factum ab eo Latinum eum cum suis elucubrationibus annumerasse, qui tenente Antonio rerum summam sublatum est. Iterum Augustum Antoniano bello superiore evasisse. Ille sex et quinquaginta annos imperavit. Insequuntur est Tiberius, quo saeculo adventus illuxit, atque sacro-sancti ritus invalidit ubique loci mysterium ».

Auctoritas affirmantis, doctrina eorum, coram quibus affirmabat, et penes quos tunc omnes Ciceronis libri erant, quum ad nos LXXV imminentia atque ex reliquis non integri omnes pervenerint, rem et veritatem in tuto ponunt, atque inexpugnabiliter muniant. Quid vero dicam de illo summo Eusebio, quem si legeris omnes noveris?

Quoad genus librorum autem grave testimonium habemus e Dionysio Halicarnasseo (1): « Sibyllini libri, – inquit ille, – qui nunc extant e multis locis compartati sunt; partim allati ex Itallicis urbibus, partim ex Erythris Asiae (ex S. C. legatis illuc ad transcribedum missis), partim ex aliis urbibus, etiam a priatis hominibus descripti, in quibus inveniuntur quae-dam supposititia, ceterum deprehenduntur acrostichum quae vocant discrimina. Sequor autem hic Terentii Varronis opinionem, quae habetur in eius commentariis theologicis ».

Sed ipsum dissertissimum Romuli Nepotum, qui sunt, et qui fuerunt, Marcum Tullium in rem, ac de praestat audire in Lib. *de Dictione*, II (§ 86): « Sibyllae versus observamus, quos illa furens fudisse dicitur. Quorum interpres, M. Antonius, nuper falsa quaedam hominum fama dicturus in senatu putabat eum, quem re vera regem habebamus, appellandum quoque esse regem (C. Caesarem), si salvi esse vellemus. Hoc si est in libris, in quem hominem, et in quod tempus est?... Non esse autem illud carmen furentis, tum ipsum poema declarat, est enim magis artis et diligentiae, quam incitationis et motus, tum vero ea, quae aehrostichis dicitur, quum deinceps ex primis cuiusque versus litteris aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis. Atque in Sibyllinis ex primo versu cuisque sententiae primis litteris illius sententiae carmen omne praetexitur ».

Ibi etiam addit non licere privato homini Sibyllinis uti tum ad inferendum in Urbem regem, tum ad mutandam Religionem. Idque aperte ostendit de Nova Religione illic haberi.

H. DE VECCHI PIERALICE.

(1) *Antiquitatum, sive Originum Romanarum*, lib. V, pag. 384. Editio Lagdunens. apud Gryphum, 1555.

(1) Lib. V, pag. 110 et seq. Edid. Parisiis M. Fezandat, 1564.

DE CAROLI MARIAE ROSINII EPISCOPI PUTEOLANI
COMOEDIIS

Saeculo xix ineunte, quum esset Italia plena litterarum et artium, studiaque haec ne ab iis quidem qui supremis tum civilibus tum etiam ecclesiasticis honoribus honestati essent negligenterunt, factum est facile ut epheborum collegia eo procederet amplitudinis, ut, doctissimorum virorum iudicio, litterarum fere emporium facile audiverint.

Huiusmodi tempora nactus est Carolus Rosinius, qui Seminarii Neapolitani alumnus et Salvatoris Aula Iacobique Martorellii humanitatis magisterio usus, tanto exinde ardore latinas litteras prosequutus est, ut episcopus quamquam Puteolanus viribusque atque aetate confectus, si quid otii sibi capessere liceret sese ad scribendum conferret. Quum autem nihil potius haberet quam adulescentes suae tutelae commissos in omni re litteraria reddere instructos, omni vi indesinenter contendebat ut tamquam in palea exercitati alacriores in emetiendo officiorum suorum stadio emitterentur. Itaque et iuvenum subibat animos, et ingentes excitabat igniculos et amores studiorum. Atque, ut voti compos omnino fieret, quippe qui vernante iuventutis flore omnes in succum et sanguinem converterat Plauti, Terentii et Flacci modos et sales, non inurbanos certo, sed facetos et lepidos, comoediis scribendis manum admovit; et rem acutetigisse visus est. Enimvero vel ab ipso earum exordio quanti istiusmodi fabulae pretii sint videre licet, utque non imitatem quemlibet, servum pecus, sed Plautum ipsum quandoque sub oculis habere quisque crediderit. Quam plane in sententiam socios et lectores nostros ituros quoque non dubitamus, nobisque gratiam relatuos, quum earumdem fabularum alteram, *Aegyptii* nomine, in nostras paginas «appendicis» modo hoc anno relatam, perlegerint.

FORFEX.

MAGORUM REPRAESENTATIO
IN INGENUIS ARTIBUS

Magorum ad praesepe Domini non secus ac pastorum in ingenuis artibus repraesentatio, quippe quae artificum mentem ac pietatem facile alliceret, iamdiu satis apparuit. Ut cetera omittamus ac praecipua tantum spectemus, toremata duo ex romanico stylo, rudia quamquam at cum vigore effecta, imprimis occurunt, quorum in altero Virgo in cathedra sedet puerulum gremio acceptum gestans, dum Magi in pateris dona oblaturi accedunt; in altero autem, quod Forolivii ad S. Mercurialis videre est,

Virgo reges austere intuetur, quorum unus, domum Dei ingrediens, coronam e capite demittit, alterum demisit, tertium denique non tantum coronam, sed paludamentum, quod muro affixit.

In sculptoriae artis paeclaro illo specimine, quod Pisaniorum baptisterium custodit, Nicolai dicimus Pisani suggestum, Maria splendide trabeata ac diademate redimita conspicitur, eiusque ad laevum latus Iosephus, ad dexterum vero Angelus baculo viatorio innexus, ac prope eum Regum maxime iuvenis sine barba et quasi a sensibus abstractus, dum reliqui genibus flexis adorant. Ad longum peractum iter indicandum trium equorum cervices proferuntur.



Iamque ad pictoriaram artem procedentes, en Iottus consuetam sibi severitatem Virgini attribuens, quam sub tabernaculo quasi reginam ponit, Iosepho hinc, illinc Angelo «nimbatis» adstantibus. Infans Jesus chlamydile indutus, eius corpus in crepundiis cooperiente, habitum prope regium et ipse praesefert Magorum seni humiliter eius pedes osculant, dum ceteri Magi duo, veluti sacerdotes, nobili quidem obsequi et admirationis actu, vicem exspectare videntur devotionem suam divino pueru significandi. Neque camelus omittitur, repraesentationis particeps, quam aperto ore, adrectis auribus fixoque lumine prosequitur.

Novis rerum adiunctis dulcem hanc scenam dedit Angelicus Faesulanus, cognomine Beatus, qui Mariam effinxit ineffabili matris dulcedine raptam, regum seni filiolum suum ostendentem; in laqueari autem variis motibus tum ceteri Magi, tum eorum accessi aliquot obiiciuntur. Iosephus denique acceptam ab Orientis regibus arculam examinare videtur.

At qui argumentum magnificentissime attigit Gentilis Fabrianensis fuit. Is enim in tabula una foecundo alite plurima exhibuit. Magos vides e regione in regnum transmigrantes, montes descendere atque ascendere, castellorum – uti pictoris tempora ferebant – sublimes pontes superare magna tum aulicorum tum venatorum suorum comitante caterva, atque demum ante exoptatissimum Iesum quasi irrumpere. Regum senex mundi Redemptorem adorat, qui, gratiose quidem ac venustissime, parvam manum cano capiti imponit. Ceteri reges thesauros suos gothicis thecis asservatos aperiunt; aulicorum alii in Sacram Familiam intendunt, alii in stellam aut in ipsa animalia, quorum magnus numerus in tabula enumeratur; equi, canes, pardi, faltones, et similia ipsa in cameli dorso iocans. Haec omnia, quibus auri et gemmarum fulgor, sericarum purpuratarumque vestium splendor attrahendi vim adaugent, facile evincunt auctorem illustrum sui aevi dominorum regificas visitationes reddere voluisse.



Gentilis Fabrianensis tabula Magorum adorationem exhibens. (Photographice expresserunt Fr. ALINARI, Florentiae).

Non aliunde Botticelli mentem ad Magorum adventum effingendum quoque impulsam dicemus, qui multitudinem orantem cum angelis ante S. Familiam in gradibus casae satis amplae, atrii sacrarum aedium ad instar, dispositam produxit.

Dominicus vero Ghirlandaio in pulchrae naturae repraesentatione magis institut, atque summum candorem Deiparae imagini tribuit; mirari enim simplici eodemque honesto manus gestu illa videtur tantos honores nato suo redditos.

At ineunte saeculo XVI ars magis libera magisque, ut ita dicam, compos sui facta, fines praetergreditur, pastoresque cum regibus sociat, ex hac repugnantia harmonicum quid tamen deducens, mentesque per angelorum choros hac illac volitantium ad superna erigens. Raphael Urbinas huiusc novae formae inter primores auctor, quam Antonius Allegri, vulgo *il Correggio*, latissime ac scite perfecit.

I. F.

MAGI

ad Iesu cunabula vocati

« Nox haec sidereis quot micat ignibus!...
At quid conspicio?... Stella nitentior,
nunquam visa, novellum
splendet sidus in aethere »..

Sic Baltassar ait, regulus Indiae;
sic princeps Arabes Gaspar apud vagos;
sic, quem solis adussit
aestus, Melchior Aethiops.

Hos in tecta domus gratia traxerat
caeli stelliferi, cuius amabilem
umbratulumque nitorem
contemplantur et adstupent.

En (res mira!) novum talia reddidit
astrum dicta: « Deum filia Davidis
est enixa: Puelli
prodam fax ego limina »..

Audire Magi; nec mora, patrium
linquit quisque solum, sidere praevio;
ternā sede profectos
Iordanes videt obvios.

Iuncti, quod superest, conficiunt iter
festinante gradu; mox patet impigris
urbs angusta, sed amplis
Bethlem clarior urbibus.

O quis vestra, pii, gaudia dixerit,
divum quum licuit Virginis integræ
aeternique Parentis
coram cernere Filium!
quum ius cuique datum fervida figere
in plantas, in teretes oscula palmulas,
ac profundere labris
quidquid pectora senserint!

At moerore gravi vos simul afficit
feni visa strues, quā super accubat
Infans, stramine duro
eheu! laesus et aspero.

« Heus! (sic iussa volant vestra) recludite
advectas, famuli, per dromedarios
arcas; nostraque, Iesu,
tu ne munera respicias.

« Aurum, Mater, habe, quo procul exsulet
tristis pauperies; inde sericā
divum veste Puerum,
pictis infer et aedibus.

« Fragrans ecce seges thurea, myrrhea,
et felix Oriens quidquid odorius
gignit: res tua sunto,
res et commoda Filii ».

Nondum notuerat difibus advenis
lex arcana Crucis, quā sibi legerat
vitam Christus acerbam,
mors quam clauderet horrida.

Culpas quippe luens stirpis Adamicae.
afflictam voluit mille doloribus
sortem ferre, molestam
annis a puerilibus.

Iesu, nostra salus! fac tua nuspiam
mortales lateat flammea caritas;
vasto non sit in orbe,
qui te nesciat, angulus.

Te per Iaphetidum littora nuntiet
Baltassar; doceat Semiticum genus
Gaspar, teque Chamitis
prodat Melchior efferis.

FRANC. XAV. REUSS.

COLLOQUIA LATINA

Narratio convivii ⁽¹⁾.

DONATUS. — Age, quoniam nunc otiosi sumus, narra
mihi, quaequo, aliquid de externo convivio, instructo
domi tuae.

SIMON. — Quid de illo scire cupis?

D. — Primum, qui convivae fuerint; deinde quam
lautum et opiparum convivium.

S. — Convivae fuere hi praecipi: provinciae praefectus,
civitatis syndicus, alii tres primae notae
e senatorum numero.

D. — Papae! Quis accubabat in capite mensae?

S. — Rogas? Provinciae praefectus.

D. — Quinam fuit cibariorum ordo?

S. — Longum est singula enarrare fercula; dabo
tamen operam, ut aliqua ex parte expleam desiderium tuum.

D. — Succedamus sub porticum, ut in umbra com
modius fabulemur.

S. — Accipe ergo mensae principium. In primis app
ositae sunt pernae salitae, linguae bubulae fumo
et sole induratae.

D. — Nempe ad excitandam appetitiam et sitim
acuendam.

(1) Ex dialogorum libro ANTONII VAN TORRE S. I. Antwerpiae edito
an. MDCVII. — Passim retractavit I. F.

CAESARIS TIRATELLI TABULA
baptismalem pompam in Campania referens

Caesar Tiratelli, Romanae scholæ pictor prae
clarus, in loca et mores tum Latii tum Campaniae
penicillo retrahenda præsertim incubuit, et singu
lae quid prope suum de huiusmodi argumentis fecit.
En hic quae per prærupta Campaniae loca de bap
tismali pompa iuxta verum retulit. A domuncula in
excelso collocata ad parvum templum oppidan, fe
stis regionis vestibus decori, procedunt. Rusticulam



— heu! pedes soleis non tectam, — liturgicam can
delam et aqualem ferentem, sequitur mulier (materne
an sacro fonti assistens?) infantulum velo coopertum
manibus gestans. Eius gravi admodum vultu —
plusculum enim negotii gerit! — suavis habitus oris
oppunitur mulieris alterius, quae fontem cum hydria
sua petens constitut, ut pueruli visu oblectaretur.
Pone, novi nati felix pater conspicitur, obstetrici,
nigro eoque serico vestiti insigni, excusse gesticulans,
dum femellæ quaedam multiloquia versute commen
tantur...

Tabula digna fuit quae Romæ inter recentiora
artis specimina in publica pinacotheca servaretur;
nos autem eius exemplar affabre in celeberrimo S. Mi
chaelis hospitio charta manufacta caelatum sociis no
stris offerimus, qui novum *Voci Urbis* subnotationem
comparaverint eiusque *subnotationis pretium* mise
rint, quod est in Italia libell. 6; ubique extra Ita
liam libell. 9 (doll. 1,80; sh. 7; mark. 7; rubl. 4;
coron. 9).

DIARIUM VATICANUM

(Die xxii mens. Novembr. - d. xx mens. Decembr. M DCCCVIII)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque
viros, qui sui quaque muneris gratia Pontificem de more
adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem:
Ignatius Ghurekian, archiepiscopus tit. Traianopolitanus,

Abbas generalis Benedictinorum Armeniorum e Congregatione Mechitaristarum Venetiis, cum consiliariis suis; Sidney-Fischer doctor, in Canadensi civitate agriculturae minister; Iachim Caso, novus Bolivianae civitatis legatus extraordinarius atque administrator cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Franciscus Assisiensis de la Conquista, hispanicus Dux; De Soden-Franhofen dynasta; manus peregrinorum ex Aversana dioecesi; Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, archiepiscopus tit. Edessen, Nuntius Apostolicus Vindobonae; cleri legationes e dioecesisibus Syracusan., Cortonen. et Montis Politiani ab episcopis suis, atque e dioecesis Clusin. et Pientin. a Vicario generali coram adductae; Pontificii Collegii Pii Latinii Americani legatio et inferioris Americae atque Hispaniae episcopi Pontifici benedicenda exhibentes civitatum suarum vexilla, apud Beatissimam Virginis effigiem, cui nomen *del Pilar*, in obsequium deinde depondera; Bruno Chaves, legatus extraordinarius et administrator Brasiliæ cum omni potestate apud Apostolicam Sedem, et Emmanuel Peralta eodem munere fungens pro republica Costaricensi, autographas suas uterque civitatis praesidis litteras Pontifici præbens; manus peregrinorum a Neapolitana et Alatrina dioecesi atque ex Mexico; De Norfolk Dux foemina calices trecentos sexaginta duos, Anglarum mulierum iubilare donum SSmo offerens; civitatum omnes apud Apostolicam Sedem legati fausta ob expletum sacerdotii quinquaginta annorum curriculum Pontifici ominantes; Equestris Ordinis a Sancto Sepulcro legatio.

Pontificiae electiones.

Excellentissimus vir Paulus M. Barone, archiepiscopus tit. Meliteni., Senensis archiepiscopus dicitur.

— Purpuratus Pater Sebastianus Martinelli inter indices adnumeratur supremi tribunalis Signaturae Apostolicae.

Vita functi viri clariores.

Die xx mens. Decembrii Camberii, ubi Roma revertens aliquot horas subsederat, repentina morte absumitur **Victor Lucianus Sulpius Léot** Purpuratus Pater, archiepiscopus Burdigalen., vir doctrina et pietate insignis, Ecclesiaeque iurium in Gallia acerimus vindex. Natus erat Montscout-Lizerolles in oppido dioecesis Suessonien. d. viii mens. Ianuarii MDCCXXXI; Divionensis episcopus electus d. x mens. Iunii MDCCCLXXXVI; in metropolitanae Burdigalensem evectus d. XXVI mens. Iunii MDCCXC; in Sacrum Senatum cooptatus tit. S. Pudentiane d. XIII mens. Iunii MDCCCLXIII.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE (1)

Ex Congregatione Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita.

— Professio votorum simplicium, in Ordine votorum solemnum emissâ, non inducit vacationem beneficij. (Ex decr. d. XXXI mens. Martii MDCCCLXIII).

(1) Lectores, praesertim sacerdotes, ad hanc *Vox Urbis* commentarii partem singulatim revocamus; unus enim commentator noster Sacram Congregationem decisiones, breviter atque exquisite ad sententiarum formam redactas, exhibet. Rationem hanc, tanti huc usque habitam, hoc anno prosequemur, sententias easdem ex Commentario S. Sedis officiali, simulac prodierit, desumentes.

Ex Congregatione de Propaganda Fide.

— Decretum *Ne temere* de Sponsalibus et Matrimonio in Sinensi territorio ad annum prorogatur hoc sensu ut vim legis habere incipiat a die sollempni Paschæ Resurrectionis D. N. Iesu Christi anni millesimi nonagesimi noni. (Ex decr. d. XXIX mens. Febr. MDCCCLXIII).

Ex Congregatione Sacrorum Rituum.

— Mitra *gemmata* interdicitur Abbatis, nisi speciale indultum Apostolicum eam aliqui concesserit. (Ex decr. d. IIII mens. Febr. MDCCCLXIII).

— Post Missam lectam defunctorum a rubricis et decretris permittam absolutio in cantu immediate habita non prohibetur; sin vero agatur de Missa diei currentis aut votiva, servetur decretum d. XI mens. Iulii MDCCCLXIII quo praescribitur solutionem pro defunctis fieri vel responsoriis super sepulturam cantari quotidie posse, maxime si id ex consuetudine antiquiore servatum fuerit, ut adimpleretur testatoris voluntas, exceptis tamen duplicitibus primæ classis, in quibus absolutio et responsorium neque habere locum poterunt private post absolutas vespere horas canonicas. Quod si in diebus permissis de mane fiant, nunquam post Missam de die, nisi omnino independenter ab eadem. (Ex decr. d. XXVIII mens. Martii MDCCCLXIII).

— Non potest permitti Missae celebratio in sacellis ubi non habeatur praescripta distantia altarium a loculis in quibus cadavera sepeliuntur. (Ex decr. d. XIXI mens. Iunii MDCCCLXIII).

— Ritus Sacrorum Antistitibus totius Americae, Oceaniae atque Australiae privilegium impertitur, quo, quotiescumque Romam petituri sint, perdurante maritimo itinere, etiam in reditu, singulis diebus Sacrum in navi peragere valeant; dummodo locus ad hoc delectus nihil indecens aut indecorum praeseferat; mare sit adeo tranquillum, ut nullum prorsus adsit periculum effusionis sacrarum specierum e calice, et si adsit - alter sacerdos superpelliceo induitus Praesuli celebranti adsistat. (Ex decr. d. XXXI mens. Ian. MDCCCLXIII).

— Sanctus Ioannes Chrysostomus declaratur et constitutus sacerorum oratorum Patronus. (Ex decr. d. VIII mens. Iul. MDCCCLXIII).

— Anniversarium celebrandum est pro ultimo defuncto Episcopo, non quidem pro administratore. (Ex decr. d. XXII mens. Iul. MDCCCLXIII).

Ex Commissione de Re Biblica.

DE LIBRO ISAIAE.

I. Doceri minime potest vaticinia quae leguntur in libro Isaiae et passim in S. Scripturis, non esse veri nominis vaticinia, sed vel narrationes post eventum confictas, vel, si ante eventum praenuntiatum quidam agnoscit opus sit, id prophetam non ex supernaturali Dei futuron præscit revelatione, sed ex his quae iam contingunt felici quadam sagacitate et naturalis ingenii acumine, conificendo prænuntiasse.

II. Sententia quae tenet, Isaiam ceterosque prophetas vaticinia non edidisse nisi de his quae incontinenti vel post non grande temporis spatium eventura erant, conciliari potest cum vaticiniis, imprimis messianicis et eschatologicis, ab eisdem prophetis de longinquò certo editis, necnon cum communis SS. Patrum sententia concorditer assentient, prophetas ea quoque prædixisse, quae post multa saecula essent implenda.

III. Non potest admitti, prophetas non modo tamquam correctores pravitatis humanae divinique verbi in profectum

audientium praecones, verum etiam tamquam praenuntios eventuum futurorum, constanter alloqui debuisse auditores non quidem futuros, sed praesentes et sibi aequales, ita ut ab ipsis plane intelligi potuerint; proindeque secundam partem libri Isaiae (cap. XL-LXVI), in qua vates non Iudeos Isaiae aequales, aut Iudeos in exilio babylonico lugentes veluti inter ipsos vivens alloquitur et solatur, non posse ipsum Isaiam iamdi emortuum auctorem habere, sed opertere eam ignoto cuidam vati inter exiles viventi assignare.

IV. Ad impugnam identitatem auctoris libri Isaiae, argumentum philologicum, ex lingua stilico desumptum, tale non est censendum, ut virum gravem, criticae artis et hebraicæ linguæ peritum, cogat in eodem libro pluralitatem auctorum agnoscerre.

V. Non solida prostant argumenta, etiam cumulative sumpta, ad evincendum Isaiae librum non ipsi soli Isaiae, sed duobus, imo pluribus auctoribus esse tribuendum.

(Ex respons. a SSmo d. XXVIII mens. Iunii an. MDCCCLXIII approbatis.)

ANNALES

Austriaci civiles motus et Balkanica quaestio.

Austriaci civiles motus, — Vindobonenses primi, ubi iuvenes studiis vacantes in Italos, sibi proprium athenaeum repetentes, impetum fecere; quam ob rem antiqua Italorum invidia iterum exarsit ac vix administrorum tranquillo animo atque firmitate cohibita est; deinde Pragæ, ubi «Czeci - radicales» qui dicuntur in Theutones vim ita intulere, ut obsidionis statum edicere oportuerit ac militaria tribunalia instituere, — huiusmodi, inquam, Austriaci imperii interna facinora a Balkanica quaestione mentes detinuerunt, eoque magis quod nihil novi magnique momenti intercesserit, omniaque in explanandis futuri conventus argumentis tranquille agerentur. Sed postremis hisce diebus novae en Russorum gubernii litterae, quae post resumptam sui agendi rationem proximam, Berolinense foedus ab Austris violatum enuntiant et Londinensis acta an. MDCCCLXXI, in quibus singuli populi fidem suam interponebant, ne internationalia foedera quaevi ab una parte tantum, inaudita aut nolente altera, mutarentur. Incusationes hae, itemque non obscura indicia Bosniacam et Chulmensem provincias sui iuris tandem esse debere, asperas quidem Austrorum censuras moverunt, quas tamen Isvolskius, Russorum administer, in publico legibus ferendis coetu mitigare apte conatus est. Ecquid tamen in posterum? Videbimus.

Mauritana res.

Mauritana res necopinatis complexionibus obnoxia fuit. Vox enim manavit Mulay Mohamed, tum Abd-El-Aziz, tum Mulay Afid imperatorum fratrem,

a Rabat ad Fez urbem procedentem, imperatorem et ipsum a nonnullis loci gentibus dictum et recognitum esse. Dictarunt insuper a Mulay Afid captivum factum; denique Afidum ipsum cum Azizio pacem agitare. Ex tot tantisque sonis quinam a vereitate discrepans minus sit... certe *manet alta mente repositum*.

Inferioris Americae discrimina.

Belli abundantes rumores ex inferiore quoque America pervenerunt. In Haitiana enim republica cives novarum rerum, aut potius novi praesidis cupidi, rebellionem excitarunt, ob quam Nord ille Alexis fugam in Gallica navi capessere coactus est; in eiusque locum factiosi milites Simon ducem suum suffecere.

Graviora apud Venezuelanos acciderunt; ubi, quum Batavi iura sua despacta viderent, naves bellicas duas comprehendenter aliasque clarigationes minitati sunt. Haec civium seditionis causa Caracas in urbe fuerunt, eoque facilius, quod Castro praeses a patria sua longe, in Europa, versaretur ad valetudinem suam (si eius verbis fides est adhibenda) currandam. Quidquid est, Gomez, alter a praeside, gubernii summa potitus, Castri edicta iniurias Europæis civitatibus afferentia revocavit, atque pacem restituisse, pro tempore saltem, visus est.

Hisce vetus iam annus MDCCCLXIII nos salutat, haereditatem, non optimam quidem, successori relinquent.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In **Anglia** de coloniis provisum, deque cuniculariorum laboris tempore; deinde regis litteris tum de Indicis motibus in Anglicum imperium, tum de Balkanica quaestione concordiae voces adhibentibus, coetus sessiones intermissiones.

In **Belgica** nova de electu militum lex lata.

In **Gallia** rationes acceptorum et expensarum omnes probatae; reiecta contra rogatio de capitis poena abolenda.

In **Germania** et in **Italia**, habitis exterarum rerum administratorum orationibus de triplicis foederis statu post recentes per Austros factos eventus, ad Iannuarium mensem coetum sessiones productae.

In **Lusitania** administratorum collegium, cui Ferreira do Amaral praeerat quum a munere abdicasset, novum suffectum, cui Enriquez Campos præpositus.

In **Russia** internationalis quaestio et agraria agitata.

In **Turcarum** imperio die xvii mens. Decembri aditiali oratione a Djevat, a Secretis Imperatoris, coram ipso Caesare perlecta, coetus legibus ferendis primus sollemniter est inaugurus.

PER ORBEM

Die xxii mens. Novembri MDCCLVIII Roma, quam privatus petierat, Georgius, Graecorum rex, discedit.

— d. xxiii Vindobonae in athenaeo, inter Italos ac Theutones decertationes fuit. Inde per Italianum protestationes ac tumultus passim.

— d. xxvii, Augustae Taurinorum Comes e Sabaudica gente, scientiae iter in Africam aggressus, Mombasam urbem tenet.

— d. xxx Pragae in Hungaria, contra Austros seditiones moventur, quas vi retundere necesse est.

Die i mens. Decembri Nobeliana praemia ad doctrinam provehendam sic attributa hoc anno nunciantur: pro medica arte doctoribus Metchnikof rusico, «fagocitosarum» repertori, et Ehrlich germanico, qui in «microbicam floram» incubuit; pro chymice Rutherford doctori anglo, cuius studia de salibus radiferis late sunt celebrata; pro physice denique Lippman, Parisiensis athenaei magistro.

— d. ii novus Sinarum imperator Pu-Y sollemniter corona redimitur.

Mariannis in insulis fossilis carbonis fodinae inceduntur; cunicularii ad ducentorum numerum miseram inde mortem oppent.

— d. iii moles a S. Lucani monte delapsa, Praet Lagunaz in oppida incidit, aedificia triginta plures incolas sepeliens.

Portu Princeps, in Haitianae civitatis urbe capite, Alexis praeses per rebellium summa rerum privatur. Simon dux in eius locum succedit.

— d. vi subterranea per Pirenaeos montes via Chamfranc in urbe, adstante publicorum operum hispanico administro, aperitur.

— d. vii Lutetiae Parisiorum in «Scientiarum Academia», matheseos praemium ann. MCMVIII addicitur Aloisio Piangi, Pisani athenaei doctori.

— d. ix Lange in oppido ad Hyeres, dynamitis fortuita inflammatio ingentia damna procurat.

— d. x Nobeliana praemia conceduntur pro litteris Esecken, Ienensi doctori; pro pace Friderico Bayerano, atque K. P. Arnoldson, suedo.

— d. xi Castro, Venezuela reipublicae praeses, Lutetiam Parisiorum tenet.

— d. xii Basoppsi in oppido, alterum dynamitis incendium plures hominum victimas parit.

— d. xiv Nicolaus Mourawieff, Russorum apud Italos legatus, repentina morte Romae obit.

— d. xvi Neapoli, nova athenaei aedificia sollemniter inauguratorum.

— d. xix Bernae, Tencher doctor Helveticae civitatis praeses ad an. MDCCLIX renunciatur.

— d. xx Castri Maris in urbe, loricata navis, cui a S. Marco nomen, feliciter in mare immittitur.

Magnus Italorum luctus.

Dum hic fasciculus sub paelo est, funebre per orbem vulgatur nuncium, Italas urbem Messanam et Rhegium, oppidaque et vicos late circum, ingentissimo terrae et maris motu solo esse aquata!

Acerbissimi civitatis nostrae luctus populos cultos omnes in partem abunde venturos erecto animo confidimus.

V. U.

AENIGMATA

I.

Prima stupens clamat, binis dein finditur unda;
Totum si ingeminas, litans altaribus adstas.

II.

Us mihi finis erit; mitem nitidumque videbis,
Symbolum et Illius, qui scelus omne luit.
Es mihi si finis, Sponsum per amara secuta
Cantans in superis nunc per amoena sequor.

I. RAINER.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

FABULAE SELECTAE
IOANNIS LA FONTAINE
LATINAE CONVERSÆ
A FRANCISCO XAV. REUSS.

Aenigmata an. XI, n. X proposita his respondent:

1) Cerevisia; 2) Pila lusoria.

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus — Guil. Schmidt, *Londino*. — F. Arnori, *Mediolano*. — Lod. Dubois, *Massilia*. — Maximilianus Vronski, *Nova Vies Narodowa*. — F. Guerra, *Aletio*. — Mich. Hebers, *Neo-Eboraco*. — Ios. Rainelli, *Arona*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Ios. Martins, *Philadelphia*. — Ios. Büttgens, *Sutrio*. — Rich. Müller, *Berolino*. — Vinc. Starace, *Neapolit*. — Iac. Cordara, *Parentio*. — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio*. — Ab. Celada, Alf. Martinez, *Badaocio*.

Sortitus est praemium:

MICHAEL HEBERS,

ad quem missa est I. B. FRANCESIA comoedia latinis versibus scripta, cuius titulus:

SATURIO.

AEGYPTII

CAROLI M. ROSINII Comoedia

(Recognovit I. F.)

PERSONAE.

CHREMES, senex pater.	BLEPHARO, pater.
CHARINUS, filius.	CLEONYMUS, filius.
ANTISTHENES, senis familiaris.	STRATILAX, servus.
SANNIO, parasitus.	IPHICRATES, Demarchi adaptator.
CURCULIO, parasitus.	DEMARCHI MINISTRI.

ACTUS I.

SCENA I.
Via

Charinus et Sannio.

Char. Sic me falsa spe producis. Iam quindecim Ipsi dies sunt, cum mala hue advenimus Alite, nec ullus dum, quos tu iactaveras Amicos, praesto est nobis. San. Sine me, ne pave. Char. Quid ego sinam? Quid non paveam? extorris, miser, Patria, domo, patre? Utinam pavessim satis! Utinam non sivissem! Nae stultus, qui fidem Tibi imprudens adhibui! Eheu me perditum!

San. Quid angeris? Quid deploras? Char. Dementiam Ploro meam. San. Serio equidem, cum iacta est alea. Char. Quid ita? San. Quippe prius consultum hoc oportuit, Quam de paterna excederes domo, puer. Char. Me sic illudis (1), pessime? Num tu non tuis Consilii me paterna abstraxisti domo? San. Ego te abstraxi? Mentiris, Charine, nunc. Non tu aeternis me obtundebas querimonias? «Heu! quam severum ac sordidum nactus fui (2) Patrem, qui inclementer, parceque, ac duriter, Praesertim ex quo fato functa est mater mea, Me habet mancipium potius, quam gnatum! Heu mihi! Vitam misellam nequeo ferre hanc amplius: Nimirum ipse est durus praeter aequumque et bonum; Adiuta me, precor, Sannio; tuam fidem Obtestor, da operam, ut hinc aufugiam, Sannio. Victum emendicare ostiatim satius est, Quam adeo duram transigere adolescentiam». Nonne (3) istas perpetuo occentabas nenias?

(1) Iratus.

(2) Vocem Charini affectans.

(3) Mutat vocem.

(Pergit in pag. seq.)

DESCLÉE ET SOCII - EDITORES PONTIFICII

ROMAE — Piazza Grazioli, palazzo Doria — ROMAE

(695) Graduale Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ de Tempore et de Sanctis

SS. DOMINI NOSTRI PI XI PONTIFICIS MAXIMI
IUSSU RESTITUTUM ET EDITUM, CUI ADDITA SUNT FESTA NOVISSIMA
AD EXEMPLAR EDITIONIS TYPICAE.

Vol. in-8 const. pag. 1200 ven. lib. 5,00

Tela coop., caes. rubri color. 7 —	Coop. pelle in dorso atque oris; tela in ceteris; caes. zigrina, caes. aurata 13,25
lib.	rubri col. 8 —

(695 a) Idem in charta vere Indica impressum

pond. gr. 525; alt. autem m. 0,022

in-8 const. pag. 1200 ven. lib. 7,00

Tela coop., caes. rubri color. 9 —	Coop. pelle vulgo zigrinata, caes. aurata 12 —
Coop. pelle in dorso atque oris; tela in ceteris; caes. zigrina, caes. aurata 9 —	Coop. pelle vulgo zigrinata, caes. aurata 15 —
rubri col.	Coop. pelle vulgo Mauritanica, caes. rubri col. 11 —
lib.	Coop. pelle vulgo Mauritanica, caes. rubri col. et aurata 22,75

(696) Graduale Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ de Tempore et de Sanctis

SS. DOMINI NOSTRI PI XI PONTIFICIS MAXIMI
IUSSU RESTITUTUM ET EDITUM, CUI ADDITA SUNT FESTA NOVISSIMA
AD EXEMPLAR EDITIONIS TYPICAE.

Editio signis rythmiciis aucta
curantibus RR. PP. Ord. S. Benedicti Solesmensibus.

Vol. in-8 const. pag. 1200 ven. lib. 5,50

Tela coop., caes. rubri color. 7 —	Coop. pelle in dorso atque oris; tela in ceteris; caes. zigrina, caes. aurata 18,25
lib.	rubri col. 8 —

(696 a) Idem in charta vere Indica impressum

pond. gr. 525; alt. autem m. 0,022

in-8 const. pag. 1200 ven. lib. 7,50

Tela coop., caes. rubri color. 9 —	Coop. pelle vulgo zigrinata, caes. aurata 12 —
Coop. pelle in dorso atque oris; tela in ceteris; caes. zigrinata, caes. aurata 9 —	Coop. pelle vulgo zigrinata, caes. aurata 15 —
rubri col.	Coop. pelle vulgo Mauritanica, caes. rubri col. et aurata 22,75
lib.	Coop. pelle vulgo Mauritanica, caes. rubri col. et aurata 22,75

Char. Non inficio paternam me duritium
Exhorruisse. **San.** Atque adornasse fugam? **Char.** Etiam.
San. Nunc vero a me domo abstractum oggeris? **Char.** Etiam.
San. Ecce (1) etiam? **Char.** Quippe tua fretus ope, quam
Libenter tu mihi spondebas, in hocce me
Vadum conieci, ex quo vix emergam miser.
Quando in fumum abierunt, quotquot sponderas?
San. In fumum? Unde arguis? **Char.** Exinde nempe, quod,
Ubi affatim fautorum spondebas tibi,
Respxerit nemo: verbaque tu das mihi.
Quod interim domo abeuntes conrasimus,
Defuxit iamdudum (2), atque ad saccum extra fores
Redigemur miseri. **San.** Non ita fiet, autumn.
Char. Utinam recte autumes. **San.** Iam iam fatebere,
Me falsum non fuisse. **Char.** Di faxint, precor.
San. In amicorum nempe optumo, et fidissimo,
Qui, quantus quantus est, astutiss scatet,
Nil tam impeditur est, quod non illico queat
Is expedire. Bono sis animo; ne pave.
Char. Sed (3) ubinam cubat? ubi latet? quam, quaeso, opem
Nobis feret technarum hicce peritissimus
Magister, si numquam appareat? **San.** Sed illico
Videbis ipsum: hue ex condito iam advenit.
Char. Quod sibi nomen? **San.** Curculionem iure vocant.
Namque aliena arrodens semper, lautam gerit
Vitam. Is, cum hoc advenimus, in urbe non erat,
Sed ruri cum viro Principe lautos dies
Agebat: heri tandem rediit, atque obviam

(1) Subiratus.
(2) Vestem excutit.
(3) Elata vox.

Mihi factus amicissime complexus est;
Num quid velle, rogavit; cumque eius fidem
Nobis in arco positis imploraverim,
Suam sponponit operam, atque hunc mihi locum
Condixit hodie (1). At, at, ni fallor, en ipsem.
Is est, is...

SCENA II.

Sannio, Charinus et Curculio.

O amicorum suavissime (2),
Atque expectatissime, te Di omnes ament.
Cur. Salve, mi Sannio, quomodo te habes? **San.** Male
Equidem. Idcirco te praestolabar avide;
Nam nisi opem fers, de nobis actum est illico.

(1) Gestu vententem indicans.

(2) Cum festinatione occurrit.


(Ad proximum numerum).

Epistolarum commercium

Cl. v. L. LAUR... **Cantuariae.** — Spatio hodie deficiente,
scriptum *De numero oratorio in Ciceronis orationibus* ad
proximum numerum differe coacti sumus. Mittas interim,
si iam habes, alia scripta, quorum mentionem fecisti, et vale.
Cl. v. I. TASS... **Turnoduri.** — Litteras meas accepisti?
Cl. v. I. WAB... **Varsaviae Polon.** — Negotium, de quo
in meis litteris ad notum domicilium missis, iterum ite-
rumque tibi commando.
Cl. v. A. HAB... **Modling.** — Accepi, tibique gratias refero.
A SECRETIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.



NUMISMA

iubente Consilio Centrali

ad Pii PP. X Sacerdotale Jubilaeum celebrandum


expresse descriptum et cusum

Sociisque singulis

Commentarii VOX URBIS

dono concessum

HOROLOGIUM



ad Roskopfii rationem

in germanicis Officinis

fabricatum

Sociisque

Commentarii Vox Urbis

qui

subnotatores novos

acquisiverint

duos

praemio constitutum

Cfr. prospectum subnotationis Comm. Vox Urbis in sequenti pagina.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS

COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCIX

Premium annuae subnotationis est in Italia Libell. 6

ubique extra Italiam Libell. 9

(Doll. 1,80; Sh. 7; Mark. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis" possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque

numisma, iubente Centrali Consilio ad
Pii X P. M. Jubilaeum Sacerdotale cele-
brandum expresse cusum et extra commercium habitum, dono accipiet.

Novi subnotatores singuli

praeterea Vox Urbis kalendario fruentur,
quod socii, qui iam superioribus annis ha-
buerunt, obtinere simul poterunt, dummodo subnotationis pretio lib. 0,25 ad diritorum expensas
resarcendas addiderint.

Qui socium novum acquisiverit unum,

eiusque subnotationis
serit, gratis accipiet Caesaris Tiratelli tabulam metr. $0,60 \times 0,40$ a celeberrimo Urbano S. Mi-
chaelis hospitio splendide caelatam, baptismalem pompam in Campania referentem. — Ab hoc
tamen et sequentibus praemiis bibliopolae excipiuntur.

Qui socios novos acquisiverit duos

ut supra, horologium sibi
habebit in Germanicis of-
ficinis ad Roskopfii rationem nobis fabricatum.

Qui socios novos acquisiverit tres

eorumque subnotationis pre-
tium miserit, a pretio suo
solvendo eximetur.

Qui socios novos viginti quinque coegerit

ante Iulium
mensem, di-
midiatum pretium itineris habebit ab Italiae finibus Romam usque, atque inde in dissectionis
Italicam stationem, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui socios novos coegerit quinquaginta,

uti supra, eodem
itinere gratis om-
nino gaudebit.

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE

CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

Diligentia in opere.

Temperantia in pretio.

ROMAE, Via Sistina, 129

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instratum.

Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX
AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit.

Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quae sequuntur opera venumdantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:

PETRI ANGELINI Lollius sive *De proœcta latinitate*. — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM - Piazza del Gesù, 48 - ROMAM



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmieście, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

“Kronika Rodzuna”

Krakowskie Przedmieście, 6.

Montreal

1689, Rue Notre-Dame.